

Communi, nempe: *Deus, qui invisibiliter etc.*, et apponatur decretum in principio Missalis. Ex hac clausula responsioni adjecta quisque intelligit, non eam fuisse S. Congregationis mentem, ut haec responsio ad modum rubricae in corpore Missalis insereretur, sed tantummodo, ut apponeretur in principio Missalis post rubricas generales inter decreta ejusdem S. Congregationis. Reapse in Missali edito anno 1714 a Sacra Congregatione de Propaganda Fide, pro quo ad adamussim hoc tantum fuerat decretum, nulla quoad variandas orationes peculiaris rubrica inserta fuit Missae in anniversario dedicationis ecclesiae; et licet verum sit, neque initio Missalis (forsan ex oblivione) ullam adnotationem de eadem re appositam fuisse, constat tamen a quavis nova rubrica addenda abstinuisse editores. Ast quod praedicti Missalis editores piaculo sibi duxerunt, id recentiores typographi fas sibi esse putarunt, hac addita arbitrio suo rubrica in praedicta Missa post orationes pro ipso die dedicationis assignata: *Praedictae orationes debent sumi, quotiescumque occurrerint plures commemorationes de anniversario dedicationis ecclesiae.* Haec quum ita se habeant, quaeritur: Utrum in novo Missali standum sit adamussim praecitato Sacrorum Rituum Congregationis decreto: an illo minime obstante retineri possit praedicta rubrica?

S. R. C. resp.: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam. Die 25. Septbr. 1860.

Quando occurrit dedicatio basilicarum SSmi Salvatoris et Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli infra octavam dedicationis aliarum ecclesiarum, sumatur pro commemoratione alia oratio de Communi: *Deus, qui invisibiliter etc.*

Decret. Urbis et Orbis 12. Martii 1861.

### 17) In Officio Defunctorum.

*Ad dubium:* Quum alias declaratum fuerit in Missa Defunctorum quotidiana celebranda ritu semiduplici semper dicendas illas tres Orationes: *Deus, qui inter Apostolicos: Deus veniae largitor, et Fidelium Deus*, excepta secunda, quae interdum variari potest, quaeritur: an idem servari debeat in Officio Defunctorum ritu pariter semiduplici persolvendo?

„Servandas peculiare hujus Officii Rubricas.“

Atque ita declarandum et rescribendum censuit. n. 5183 ad 23 die 16. Apr. 1853.

### 18) Publicae.

Ab auctorit. eccl. indicendae.

Vd.: *Preces publicae* (ab eccl. auctor. etc.).

### 19) Quot adjungendae?

Vd.: *Patronus paroch.* (transl. Solemnitatis, decr. n. 4910).

### 20) Finito „Te Deum“.

Vd.: *Te Deum* (Oratio).

### 21) In Vesperis etc.? quo ritu cant.?

Vd.: *Vesperae* (ritus); *Te Deum* (Oratio).

### 22) Vetitae.

Orationes praeter eas, quae in Ecclesia receptae sunt, in s. Ritibus non admittuntur. Benedictus XIV. Const.: *Inter Omnigenas* 2. Febr. 1744.

## ORATORIUM.

### a) Altare portatile.

Vd.: *Altare portatile.*

In aliqua certa Capella decenter ornata ad solum cultum divinum ab Episcopo dedicata et ab eodem visitanda

servatis aliis servandis potest celebrari super altare portatile.

S. R. C. n. 51. 23. Mart. 1593.

Vd.: *Orator. privat.* (Decr. Benedicti XIV. et Clem. XI.).

### b) Confraternitatum.

Vd.: *Titularis capellar. publ.*; *Credo in missa Titul. capell. publ.*; *Oratorium priv.* de die 17. Aug. 1709).

Episcopus in Oratoriis separatis ab Ecclesiis non potest prohibere Capellani Confraternitatum, quominus celebrent missas in diebus festis ante missam paroch. S. R. C. n. 1017 die 21. Apr. 1635.

Eadem die, qua solemniter celebrantur in Ecclesia paroch., non licet Capellano Solemniter peragere intus capellam in solemnioribus ab Episcopo declarandis. S. R. C. n. 2298 ad 2 die 22. Nov. 1644.

*Ad dubium:* An in Ecclesiis et Oratoriis publicis, sejunctis ab Ecclesia paroch., in quibus adest erecta aliqua Confraternitas, possint Capellani *de licentia Episcopi dumtaxat* et post missam paroch. canere missas sol. in diebus festis, exceptis tamen diebus SS. Corp. Chr., Fer. V. et Sabb. hebdom. maj.?

S. C. resp.: Affirmative; non posse tamen Capellanos Confratern. in praefatis Ecclesiis et Oratoriis facere, quae ad sol. parochum spectant, et signanter missas def. in anniversario Confratrum pro legatis piis cantare, candelas etc. benedicere absque consensu parochi. n. 3451 die 14. Decbr. 1697.

*Ad dubium:* An functiones ecclesiasticae non parochiales explendae in Oratorio Confrat. s. Caroli Ravennae spectent ad parochum s. Rochi seu potius ad Confratres Oratorii mediante eorum Capellano vel Canonico protectore absque licentia parochi?

S. C. resp.: Functiones, de quibus agitur, spectare ad parochum privative quoad Confratres. n. 3766 die 2. Apr. 1707.

Decreta authentica. Tom II.

Licet Confratribus SS. Trinitatis Pezzetti celebrare missas in festivitatibus solemnioribus in eorum Ecclesia a Rectore seu Capellano Confrat. privative ad parochum et absque ulla ejus dependentia. n. 3835 ad 1 die 9. Martii 1711.

Idem decr. pro Confrat. s. Mariae Confalans. sub n. 3850 ad 3 die 11. Febr. 1713.

*Ad dubium:* An in diebus festis valeant celebrari in Oratorio Confrat. S. Rosarii Burgi missae tam lectae quam cantatae cum signo campanarum ante celebrationem missae paroch.?

S. C. resp.: Arbitrio et prudentia Episcopi. n. 3910 ad 10 die 9. Julii 1718.

In Ecclesia (Oratorio) Confrat. s. Jacobi Minor. Placentiae non potest in fer. V. in Coena Dom. sol. miss celebrari aliaeque functiones fer. VI. et Sabb. s. ibidem peragi, exceptis Matutinis tenebrarum. n. 3914 ad 4 die 10. Sept. 1718.

*Ad dubium:* An Confraternitati SS. Trinitatis fer. V. in Coena Dom. per suum Capellanum, independentem a paroch. liceat celebrari facere missam et habere sepulchrum cum Venerabili, necnon in Vespere ejusdem feriae V. post lotionem pedum habere in suo Oratorio sermonem per Sacerdotem a Confratribus eligendum independentem a paroch.?

S. C. resp.: Negative quoad primam partem et secundam; affirmative quoad tertiam de licentia Ordinarii. n. 4012 ad 2 die 13. Sept. 1732.

*Ad dubium:* An liceat Confraternitati retinere sedes confessionales in Oratorio ibique per confessarios approbatos excipere confessiones sacramentales?

S. C. resp.: Licere de licentia Episcopi. Die 9. Martii 1711 ad 3. *In Papien.*

Vd.: *Confessionale.*

*Ad dubium:* An parochus invitit Confratribus docere possit doctrinam christianam in praedictis (Confratrum)

*Benedictus PP. XIV.*

Epistola Encyclica ad Primatem, Archiepisc. et Episcopos Regni Poloniae.

Magno cum animi Nostri dolore a Nobis intellectum est, nonnullas in Dioecibus vestris controversias ac molesta dissidia propter Oratoria privata insurrexisse, quibus praecedendis cum omnis per vos cura ac diligentia adhibita fuerit, non modo optato fine frustrati sitis sed et in aliorum offensionem incurreritis vobisque eam acquisiveritis reprehensionem et notam, quasi nimio rigore adhibendo modum excedatis, optari proinde a vobis, ut per hanc S. Sedem certae vobis regulae indicentur, ad quarum normam sublatis abusibus privati Oratorii Privilegium exerceri debeat; idque ad eum finem, ut, cum Orationes vestrae Pontificia auctoritate nostra munitae fuerint, non solum ab omni malevolorum censura immunes evadant, verum majus semper eisdem honoris atque aestimationis pondus accedat. Licet autem vestrae hujuscemodi petitioni satisfacere facillime potuissemus, illos vobis libros indicando, tum in quibus de hujusmodi materia doctrina traditur Praedecessorum Nostrorum Romanorum Pontificum Decretis conformis, quam alios etiam, quorum Scriptores, dum de privatis Oratoriis agunt, ea S. Sedis Decreta vel dissimulant vel ignorant, quae assertionibus eorum omnino opponuntur. Nihilominus, cum Nos Venerabiles Personas Vestras praecipuo ac speciali affectu prosequamur, per Encyclicam hanc Epistolam nostram, qua fieri poterit brevitate, tum eorundem Decessorum nostrorum tum nostram hac super re mentem sensusque aperiemus: quibus quidem, praeter obedientiam, quae eisdem debetur, ratione auctoritatis, a qua, velut a fonte dimanant, aliud etiam nescio quid majoris ponderis inest, materiae

ipsius nomine, quae eorum objectum est, quaeque in quaestione versatur, cum omnis hujusmodi res ab Apostolicis Privilegiis dependeat, quorum explicatio privato jure Summis Pontificibus reservata est, cumque eadem praecipuam normam desumere debeat ex intentione illius, a quo concessio facta est, cujus sensus concedenti semper quam alii cuilibet notior esse debet; adeo ut quidquid a vobis secundum ea, quae in Encyclica hac Epistola nostra continentur, ordinabitur et statuatur, id pro exequendis Summorum Pontificum praescriptis praestitum esse dicendum sit, cujus rei gratia Apostolicorum Delegatorum qualitate et auctoritate Fraternalibus Vestris additam esse censendum est, quam etiam, quatenus opus sit, Nos ipsarum praesentium Literarum tenore Vobis ad hujusmodi effectum concedimus et impertimur.

§. 1. Nihil sane expositum Nobis est, quod ad ea pertineat Sacella, quae in Episcopalibus Palatiis vestris habetis, pro Missa vel per vos vel per alios celebranda aliave quapiam sacra Functione, quae officii ac dignitatis vestrae propria sit, obeunda; de quibus late disserere Nobis perfacile esset, nisi hoc a proposito nostro alienum foret. Quare duo tantummodo vetusta Sacellorum exempla indicabimus, quae Episcopi in proprio Episcopio a publicis Ecclesiis distincta ac separata habebant, in quibus Missae Sacrificium celebrabant. Horum primum Sacellum est S. Cassii Episcopi Narniensis, de quo S. Gregorius in *Homilia 37 super Evangelia* narrat, quod, licet gravi morbo opprimeretur, in Oratorio Episcopi sui Missas fecit, tam ut propriae quam ut eorum, qui illum visitatum adveniebant, devotioni satisfaceret. Alterum exemplum est S. Joannis Eleemosinarii Episcopi Alexandrini, qui, sicut in actis ipsius a Leontio scriptis

deprehenditur, illos coarguens, qui, Missa nondum peracta discedebant, quum ipse ad eandem celebrandam in publicam Ecclesiam se conferebat, dicere in more habebat: *Ego propter vos descendo in Sanctam Ecclesiam, nam poteram mihi met facere Missas in Episcopio*. Praedictum exemplum legere est apud Thomassinum de veteri ac nova Ecclesiae disciplina part. 1. lib. 2. cap. 93. num. 6. Alia exempla in opere de Oratoriis privatis inscripto cap. 6. collecta reperiuntur (quod opus novissime a Joanne Baptista Gattico Canonico Lateranensi Romae in lucem editum est), per quae Episcoporum jus circa Sacella in propriis Episcopalibus Palatiis habenda validis fundamentis innixum comprobatur.

§. 2. Huic quidem juri Sacrum Tridentinum Concilium nulla ratione derogavit; quippe quod tantummodo sess. 22. de observandis et evitandis in celebratione Missae, propter multa, quae parum decenter fieri identidem contingebat, Episcopis praecepit, ne Saecularibus ac Regularibus Missam celebrare permitterent privatis in domibus et extra Ecclesias aut Oratoria publica, quae Divino cultui destinata essent; quod nullam cum Capellis, quae in Episcopalibus Palatiis sunt, rationem habet, quum haec sub privatarum domorum nomine nunquam censi possint. Id pluries a Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium ejusdem Concilii Tridentini Interpretum in aliquot ejusdem Resolutionibus validis rationibus innixis declaratum est, quas Nos in nostro de Sacrificio Missae Tractatu retulimus Sect. 2. §. 45. et seq. Latinae Edit. Patav.; Nos enim tunc etiam, cum in minoribus constituti opus aliquod inscriberemus, illud praecipue Nobis gloriosum duximus, ut nulla in parte a Romanae Curiae Tribunalium Sententiis recederemus, qui-

bus ut plurimum a Pontificis Oraculis auctoritatis robur accedit.

§. 3. Illud tantummodo de hujusmodi Episcoporum Privilegio dici poterat, quod, cum idem ad Sacella, quae in Episcopis sita sunt, restringeretur, nullo modo Episcopis favere poterat, tum cum iidem extra proprias domos versarentur, cum Visitationem obirent sive cum iter haberent; adeo ut, cum vel Missam celebrare vel eidem interesse vellent, ad publicas Ecclesias se conferre cogerentur vel a locorum Ordinariis veniam petere, ut sibi liceret, vel Missam celebrari facere vel ipsi eandem celebrare in illa habitatione, in qua forte diversarentur.

§. 4. Verum recol. mem. Praedecessor Noster Bonifacius Papa VIII. in Decretali sua: *Quoniam Episcopi, de Privilegiis, in Sexto*, male factum reputans, Episcopos sine rationabili causa Missam quotidie non celebrare aut eidem non interesse, eisdem concessit, ut etiam extra propriam Dioecesim Altari portatili seu viatico uterentur: *Praesenti Constitutione indulgemus iisdem, ut Altare possint habere viaticum et in eo celebrare aut facere celebrari ubicumque absque interdicti transgressione illis permittitur celebrare vel audire Divina*. Dignum animadversione verbum est: *Ubicumque*, quod quidem procul dubio loca etiam, quae extra Dioecesim sita sunt, comprehendit.

§. 5. Praecipuam etiam animadversionem dictae Congregationis Concilii Resolutiones merentur, cum ad Quaesitum eidem propositum: *num videlicet Episcopus, qui extra propriam Dioecesim est, ad utendum Privilegio Altaris viatici petere ejus rei veniam ab Episcopo Locali teneantur? minime eum teneri respondit*; alioqui frustratorium Bonifacii VIII. Privilegium fuisset, quoniam illius Pontificis

aetate antiquum Jus in suo vigore perstabat, cui, quemadmodum mox dicitur, a Concilio Tridentino postea derogatum fuit, secundum quod Episcopi facultatem concedebant Missam in privatis domibus celebrandi. Similiter, cum eidem Congregationi alterum Quaesitum propositum fuisset: *num Privilegio per Bonifacium VIII. Episcopis concessio vel Tridentinum Concilium vel Pontificis Pauli V. Decretum, de quo pariter mox dicitur, praejudicium ullum attulissent, nihil pariter Privilegio illi detractum fuisse respondit; cum tam in Concilio quam in citato Decreto sublata quidem Episcopis facultas fuerit, qua aliis licentiam in privatis domibus Missam celebrandi concedere possent, verum nequaquam juribus illis expoliati remanserint, quae proprias personas respiciunt, quaeque eorumdem dignitatis atque characteris propria sunt. Praedictae Resolutiones a Nobis referuntur in nostro Tractatu de Sacrificio Missae Latinae editionis Patavinae Sect. 2. §. 42., nec non in Commentariis bon. mem. Cardinalis Petra ad Constitutiones Apostolicas tom. 4. super Constit. 2. Urbani V. num. 15. et seq., et a Gattico in recenti ejusdem Tractatu de Oratoriis domesticis in titulo de usu Altaris portatilis cap. 12. num. 1. et seq.*

§. 6. Tam verum est, quam quod verissimum, nullam rem majus praejudicium Privilegiis afferre, quam ab usum eorumdem; quod quidem satis superque pro vero comprobatum fuit, etiam in casu hujus Privilegii Altaris portatilis, quod concessum Episcopis est, et quod post Concilium Tridentinum ac Paulinum Decretum illaesum remansit. Certis indiciis compertum fuit, quosdam Episcopos eodem abuti, qui, vel intra vel extra Dioecesim ad Laicorum se domos conferebant atque in iis vel ipsi Missam celebrant vel ut ibidem plures celebrarentur Missae

faciebant, idque nulla necessitate urgente, sed ad eum tantum finem, vel ut proprium Privilegium ostentarent vel ut Laicorum petitioni satisfacerent. Cum hujusce inconvenientis notitia ad Concilii Congregationem pervenisset, non praetermisit hujusmodi excessum prohibere, ejusdem abusus corrigendi, curam Archiepiscopis committere, si quando factum in locis eorum jurisdictioni subjectis contigisset. In Codicibus Actorum seu Regestis Congregationis praedictae lib. 48. *Decretorum fol. 471* Resolutiones ipsae referuntur. Quia tamen nihilominus malum invalescebat, a felicis recordationis Praedecessore nostro Clemente Papa XI. die 15. Decembris 1703 sequens Decretum publicatum fuit, in quo, postquam inconveniens expositum fuit nimirum: *Episcopi etiam in aliena Dioecesi extra Domum propriae habitationis in privatis Laicorum Domibus erigi faciunt Altare ibique per unum aut per plures e suis Capellanis vivificam Christi Hostiam immolant, ad remedium gradus fit: Ad abusus hujusmodi eliminandos etc. SS. D. N. etc. expresse declarat, Episcopis et his majoribus Praelatis etiam Cardinalatus honore fulgentibus neque sub praetextu Privilegii clausi in corpore Juris neque alio quocumque titulo ullo modo licere extra domum propriae habitationis in domibus Laicis etiam in propria Dioecesi, quod fortius intelligitur in aliena, etiam si Dioecesanis consensus adhiberetur, erigere Altare ibique Sacrosanctum Missae Sacrificium celebrare sive celebrari facere.*

§. 7. Magni hujus Pontificis menti ille tantummodo finis in hoc propositus fuit, ut abusus tollerentur, numquam autem ut recto Privilegii usui quidquam detraberetur. Et quia relata verba prohibitiva, utpote minus ampla et effraenata, cuiquam praebere ansam

poterant affirmandi, non licere Episcopis uti Privilegio Altaris portatilis, tum cum vel Dioecesim visitant vel iter faciunt aut alia justa de causa extra residentiam sunt atque in Laicorum domibus morantur; illato de hujusmodi re sermone in Congregationibus, quae sub Innocentio XIII. immediato Clementis ejusdem Successore habitae fuerunt, quarum Nos tunc in minoribus existentes a Secretis fuimus, opportunum factum est, ut ea, quam mox subjicimus, Declaratio fieret, quae postea inserta fuit in ejusdem Innocentii Literis incipientibus: *Apostolici Ministerii*, quas idem Pontifex pro constituendo in Hispaniarum Regnis bono Ecclesiae disciplinae regimine condidit, quasque etiam ejusdem Successor Benedict. XIII. in forma specifica confirmavit et ut in omnibus locis pro regula ac norma haberentur, in Appendice Concilii Romani a se celebrati voluit insertas; ipsam vero declarationem inter ejusdem Concilii decreta retulit Tit. XV. Cap. III., in quo quidem Concilio Nos quoque ad Sacrorum Canonum Interpretationem adhibiti fuimus. Declarationis verba Nos etiam hic libenter apperimus: *Declaramus, quod, cum in praedicto Decreto, de Clementis XI. sermo est, statuatur, non licere Episcopis extra domum propriae habitationis in domibus Laicis erigere Altare ibique Sacrosanctum Missae Sacrificium celebrare sive celebrari facere; hujusmodi prohibitio intelligenda non sit de domibus, etiam laicis, in quibus ipsi Episcopi forte occasione Visitationis vel itineris, hospitio excipiantur; ut nec etiam quando Episcopi in casibus a jure permissis vel de speciali Sedis Apostolicae licentia absentes a domo propriae ordinariae habitationis moram idcirco faciant in aliena domo per modum similis habitationis; his enim casibus licita eis*

*erit erectio Altaris ad effectum praedictae celebrationis non secus ac in domo propriae habitationis.*

§. 8. Optimum factum judicavimus in Encyclica hac Epistola Nostra exponere Vobis haec, quae ad Fraternitates Vestras praecipue pertinent, nimirum quantum Vobis concessum est quoad Sacella seu Capellas, quae in Episcopaliis Palatiis vestris sunt; quantum item Vobis in alienis domibus et extra vestram Dioecesim facere permissum est; causas etiam Concessionum ac Privilegiorum indicavimus necnon eorumdem abusus atque ab usum prohibitiones apposuimus, tum ut Vos discrimen agnoscat, quod intercedit in Capellis Episcopaliis Aedium vestrarum, per quas non minus spirituali consolationi et commodo vestro quam dignitatis vestrae decori providetur, et privata Oratoria in domibus Laicorum, sive intra sive extra Dioecesim vestram, in quibus aliquando Vobis pro praecipuo fine hujusmodi commodi et consolationis vestrae, Privilegio Altaris erigendi ac celebrandi vel celebrari faciendi uti licet; tum vero etiam, ne forte, cum Vos contra abusus privatorum Oratoriorum in domibus Laicorum invigilare debeatis, redargutioni obnoxii sitis, quod, alienos in aliorum domo defectus dum corrigitis, interim vestrae domi atque in propria agendi ratione excessus adhibeatis. Ideoque ad privatorum Oratoriorum propositum, quae in domibus Laicorum sunt, gradum facientes aliqua praemittemus.

§. 9. Primum quidem est, privatorum Oratoriorum in dictis domibus usum ab antiquo tempore repetendum esse, cum constet, Apostolos Sacra Mystera privatis in domibus celebrasse eumque morem persecutionum tempore servatum fuisse, quemadmodum Christianus Lupus in suis notis ad Canones Trullanos apposite animadvertit.

ecclesiis et oratoriis publicis et privatis a parochiali divisis et separatis?

S. C. resp.: Negative. Die 10. Decb. 1703 *in Urbis et Orbis* ad 17.

c) Episcopi consensus ad erigendum.

*Lucius PP. III. Episcopo Bellunensi.*

Prohibemus, ut intra fines parochiae tuae nullus sine tuo assensu capellam seu Oratorium de novo construere audeat salvis privilegiis Rom. Pontificum.

Die 18. Oct. 1185. (Bull. r. t. III. p. 29. Ed. Aug. Taur. 1858).

Vd.: *Orat. priv.* (decr. Bened. XIV. §. 10. etc. 29.).

d) Infirmi.

Extra summum necessitatis casum apud infirmos in aedibus non sacratis missam celebrare non liceat.

*Benedictus PP. XIV. in Constit.* diei 2. Febr. 1744 ad Episcopos Regni Serviae (Turcarum) n. 22. (Bull. Benedicti XIV. t. I. p. 306.)

*Orat. priv.* (missa in variis festiv., decr. n. 4782).

e) Patronus.

In Oratoriis, quae nullum habent patronum, nominandus est patronus civitatis episcopalis vel loci.

Vd.: *Commem. Patroni; A cunctis* (commem. Patr.); *Titularis capellae publ.*

f) Privatum.

I. Duo Oratoria in una Domo.

Neocastren.

(Conc. Tr. Decr. de Observ. et Evit. in celebr. Missae. Sess. 22).

Ex benignitate S. M. Innocentii XI. princeps Tirioli ejusque nobilis mulier indultum apostolicum obtinuerunt celebrari faciendi in privatis eorum domorum oratoriis sub hisce verbis:

„Vobis, qui, ut asseritis, terrae seu loci di Tiriolo jurisdictionem temporalem exercentes Neocastren. dioecesis principes existitis, ut in privatis domorum vestrae habitationis in civitate et dioecesi Neocastren. oratoriis, ad hoc decenter muro exstructis et ornatis seu extruendis et ornandis ab omnibus domesticis usibus liberis, per ordinarium loci prius visitandis et approbandis ac de ipsius ordinarii licentia ejus arbitrio duratura, unam missam pro unaquaque die et dummodo in iisdem domibus celebrandi licentia, quae adhuc duret, alteri concessa non fuerit, per quemcunque sacerdotem ab eodem ordinario approbatum saecularem seu de superiorum suorum licentia regularem sine tamen quorumcunque jurium parochialium praejudicio ac paschatis Resurrectionis, Pentecostes et Nativitatis D. N. Jesu Christi aliisque solemnioribus anni festis diebus exceptis, in vestra ac natorum et familiae, et quoad oratoria ruri existentia etiam in hospitum nobilium vestrorum praesentia, celebrari facere, libere et licite possitis et valeatis“, ut latius ex documento, quod in summario dabitur. Multis igitur retro annis erectum comperitur in domestico palatio principum Tirioli oratorium privatum in loco honesto decenterque ornato, in quo sacrosanctum ministerium operatur. At nuper principissa ex pio affectu in alio cubiculo ejusdem palatii alterum paravit oratorium salvatori in cruce pendenti dicatum, in quo noctu diuque lampades accenduntur et cum tota familia devotas persolvit preces. Desiderio itaque praeclaudata principissa flagrans, quod ibi quoque missae sacrificium interdum offeratur, potissimum recurrentibus diebus Passionis dominicae, ita tamen, quod in altero antiquo oratorio tunc non celebretur; voti compos fieri nequivit in curia episcopali Neocastrensi. Hinc humilem

recursum habuit ad EE. PP. consensus pro declaratione: numquid in vim indulti praememorati pro libito celebrari possit missa in alterutro ex dictis oratoriis, dummodo unica in die offeratur. Remissis precibus pro consueta informatione Ordinarius praelibata confirmat additque, quod, licet oratorium nuper erectum, apte ornatum decentique in loco positum sit, nihilominus principissae votis minime annuere voluit in obsequium declarationum, ut inquit, Sac. Congreg., quibus plura oratoria erigi in eodem palatio prohibetur.

Hinc relatis precibus per summarium, cum rescriptum prodierit, quod dubium proponeretur in folio, superest, quod EE. PP. sapiens oraculum desuper pandant ex latius adducendis:

I. *An in vim indulti, de quo agitur, possint retineri duo oratoria pro celebratione missae in eadem domo; ita ut modo in uno modo in altero celebrari possit, dummodo unica tantum missa in die celebretur in eadem domo?* Et quatenus negative;

II. *An id sit concedendum ex gratia?*

S. C. resp.: Affirmative juxta modum. Die 4. Maii 1715.

II. Missae in variis festivitibus.

Vd.: *SS. Sacram.* (Asservat. in Orat. etc. decr. Leonis XII.); *Capella dom.*

Nonnullis festis, quorum solemnitas differtur in dominicam sequentem, interdum Sacra in Sacellis domesticis; quaeritur: an illud interdictum intelligendum sit de die festi vel de dominica, in qua fit solemnitas?

S. C. resp.: In die festi.

Die 23. Maii 1835 ad 14 quaest. 8.

*Ad dubium:* An die Consecrationis vel Titularis ecclesiae paroch. non Cathedr. et per octavas celebrari possit Dedicat. vel Titularis, sub eodem

ritu dupl. ac in parochiali, etiam in oratoriis eidem Ecclesiae parochiali subjectis, in quibus de facto multi sacerdotes celebrant ut in parochiali?

S. C. resp.: Negative. Die 17. Aug. 1709. In *Bergam.*

Parochus novit SS. Viaticum difficillime peragi posse infirmo morti proximo, nisi celebret in Oratorio domestico Indulto apost. erecto domui infirmi proximo; quaeritur: utrum possit a privato Oratorio SSmum deferre? Et quatenus affirmative: utrum in tali casu celebrare possit etiam Indultario precario absente?

S. C. resp.: Affirmative etiam absente Indultario. n. 4782 ad 8 die 27. Aug. 1836.

*Ad dubium:* An in Oratorio privato, in quo ex causa infirmitatis a Sede conceditur, ut Missa in die Nativ. D. celebrentur tres missae, ab eodem Sacerdote celebrari possint vel unica tantum missa sit celebranda?

S. C. resp.: Ad primam dubii partem affirmative, ad secundam negative. Die 20. Jan. 1725. (Bened. XIV.)

*Ad dubium:* An Episcopi non habentes facultatem specialem concedendi in Oratoriis privat. et capellis pro saecularibus et aliis legendi missam, possint licentiam dictam petentibus concedere?

S. C. resp.: Negative. Die 20. Sept. 1749 ad 7. In *Jaurin.*

*Ad dubium:* Missae in Oratorio privato non possunt celebrari in festo Titulari parochiae, ubi Oratorium constructum est; in Oratoriis privatis intra Civitatem constructis debeturne censeri prohibitum Sacrum facere etiam in die Titularis, nempe die 3. Maii aut tantum in Titulari propriae parochiae?

S. eadem C. rescribendum censuit: „Prohibitum est tantum in festo Patroni Civitatis vel Dioecesis, non in

festo Titularis, quod non inducit praeceptum audiendi Sacrum et abstinendi a servilibus."

Atque ita rescripsit ac servari mandavit, die 11. Apr. 1840 n. 4878 ad 3.

Quum Rmus Aquan. Episcopus non minus quam Duces Militiae in Civitate Apuana Indultum efflagitarint, ut in *Sacello Militaris Domus* Sacrosanctum Missae Sacrificium ut antea celebrari valeat, quamvis super ipsum lectuli militum ex necessitate reperiantur, constructa super ipso Sacello duplici concameratione, S. R. C. ad Quirinale subscripta die coadunata, attentis expositis ac audita ab infrascripto Secretario fidei relatione respondendum censuit: „Committatur Episcopo, ut veris existentibus narratis adhibitisque praescriptis cautelis pro suo arbitrio et prudentia indulgeat juxta preces." n. 4895 die 12. Sept. 1840.

Non licet in die Solemnitatis Corp. Chr. per parochum terrae de Valentino celebrare missam in Capella Ducis dictae Terrae et ibi inchoare processionem. n. 3027 die 24. Julii 1683.

In Oratorio *priv.* semper Missa concordare debet cum Officio Celebrantis. Idem dicendum de Sacerdotibus ad Ecclesias Confraternitatum in festis patronorum et titularium earundem confluentium. S. R. C. 12. Novb. 1831; 23. Sept. 1837.

Missae in Oratorio *priv.* prohibentur tantum in die festo et non in dominica, ad quam solemnitas transferatur. S. R. C. 23. Maii 1835.

Cum Joann. Lopez de Excoriaca Calagur. dioecesis obtinuerit a SSmo D., ut in Capella palatii sui possit ipse, quamdiu vixerit, pro suo suaeque familiae commodo sacrum missae celebrari facere singulis diebus et temporibus praeterquam in die Pasch. Resurrectionis D. N. et aliis solemnior. festivit.; dubitatum fuerit: quaenam sint

et intelligantur praeter diem Pasch. aliae solemniores festivitates?

S. R. C. resp.: Solemnnes festivitates esse et intelligi censuit praeter festum Pasch. Resurr. D. N.: Feriam V. in Coena D., festum Ascensionis D. N., Pentecostes, festum ss. Ap. Petri et Pauli, festum Annunt. et Assumpt. B. V. M., festum Omn. Sanctorum, fest. Nativit. ac Epiph. D. Die 17. Novb. 1607 in *Calagur.*

Decretum Clementis XI. de Celebratione in Oratoriis privatis.

Quoniam Sancta sancte tractanda sunt ac praesertim tremendum incruenti Sacrificii mysterium, quod omni Religionis cultu et veneratione peragendum est, propterea super observandis et evitandis in celebratione missarum in s. oecumenicis Conciliis ac praesertim Tridentino *sub capite unico sess. 22.* inter caetera statutum est, ut tantum sacrificium solummodo in ecclesiis aut Oratoriis divino tantum cultui dicatis celebraretur, praecipiendo Episcopis et locorum Ordinariis, ne *privatis* in domibus atque omnino extra Ecclesiam peragi paterentur; ac subinde S. C. EE. ac RR. S. R. E. Cardinalium ipsius Concilii Tridentini executioni et interpretationi praepositorum saepe saepius per opportuna decreta obrepentes abusus eliminavit; modernis tamen temporibus innotuit SS. Domino Nostro, quod nonnulli Episcopi praetextu privilegiorum Capellis Episcopalibus competentium, et complures Regulares sub praetextu privilegiorum, quae ipsis a S. Sede indulta noscuntur, per hujusmodi privilegiorum dilationem seu potius expressum et abusum in nonnullis Dioecibus praesertim Regni Neapolitani ac in ipsa Neapolis civitate, et sibi licere putant, quae permissa non sunt, quinimo prohibita; siquidem nonnulli Episcopi etiam in aliena Dioecesi et

extra domum propriae habitationis in *priv.* laicorum domibus erigi faciunt altare, ibique per unum aut plures e suis Capellanis vivificam Christi hostiam immolare; Regulares vero in quibusdam Magnatum seu aliarum nobilium Personarum privatis Oratoriis, quae certis quandoque ex causis a Sede apost. concedi solent, celebrare audent vel plures missas, quam in ipsis celebrare sit indultum, vel absque praesentia personarum, quarum contemplatione gratiosa concessio emanavit, vel extra debitas horas et post meridiem vel illis etiam diebus, quibus per Constitutiones Dioecesanarum, aut etiam per decreta S. C. C. celebrari prohibetur, aut quae ipsismet indultis apost. excipiuntur, quamvis in iis celebrari possit, aut etiam altari portatili uti non verentur in sanctarum Sanctionum contemptum ac SS. Sacrificii irreverentiam.

Quamobrem ad abusus hujusmodi eliminandos et ad instaurandam venerationem tremendo ministerio debitam idem SS. Dominus Noster ex unanimi voto S. R. C. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum inhaerendo declarationibus alias hac de re editis expresse declarat Episcopis et his majoribus Praelatis, etiamsi Cardinalatus dignitate fulgentibus, neque sub praetextu Privilegii clausi in corpore juris, nec alio quocumque titulo, ullo modo licere extra domum propriae habitationis, in domibus laicis, etiam in propria Dioecesi, quod fortius intelligitur in aliena, etiamsi Dioecesani consensus adhiberetur, erigere altare ibique ss. Missae Sacrificium celebrare seu celebrari facere; ac pari modo in oratoriis privatis, quae per s. Sedem concessa fuerint, non licere Regularibus cujusvis Ordinis aut Instituti seu Congregationis, etiam Societatis Jesu, aut etiam cujuscumque Ordinis militaris, etiam s. Joannis Hierosolimitani, aut aliis quibuscumque Sacerdotibus,

etiamsi essent Episcopi, in iis celebrare in diebus SS. Resurrectionis, Pentecostes, Nativ. D. N. J. Chr. aliisque anni festis solemnioribus ac diebus in Indulto exceptis: in reliquis vero diebus praedictis Regularibus seu Sacerdotibus quibuscumque etiam Episcopis in *priv.* Oratoriis celebrare non licere, ubi etiam unica Missa, quae in Indulto conceditur, celebrata fuerit, super quo celebraturus diligenter teneatur inquirere et de eo se optime informare; atque ille etiam in casibus praemissis celebrare nequit post meridiem; demandando praeterea ulterius ac declarando in omnibus hujusmodi casibus personas quascumque dictas missas audientes nullatenus Ecclesiae praecepto satisfacere.

Quo vero ad altare portatile, iterum inhaerendo declarationibus supradictis censuit licentias seu privilegia concessa nonnullis Regularibus in cap.: *In his Privil.*, et per alios summos Pontifices aliis Regularibus communicata, utendi dicto altari port. in eoque celebrandi absque Ordinariorum licentia in locis, in quibus degunt, omnino revocata esse per idem s. Concilium et propterea eosdem Regulares prohibendos, ne illis utantur, ac mandandum, prout praesentis decreti tenore mandat Episcopis et aliis Ordinariis locorum, ut contra quoscumque contravenientes quamvis Regulares procedant, etiam tanquam Sedis ap. Delegati, ad poenas perscriptas per idem S. Concilium in dicto decreto *sess. 22.* usque ad censuras latae sententiae, tributa etiam iisdem facultate per hoc decretum ita procedendi perinde ac si per S. Sedem specialiter concessa fuisset, et ita Sanctitas Sua declarat et servari mandat.

Romae die 15. Feb. 1703.

B. Card. Panciaticus Praef.

(Bull. r. t. VIII. p. 417; t. XVIII. p. 221.)